



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri Francisci Chiffletii, Vesontionensis, Societatis Jesu
Presbyteri, Opuscula Quatuor.**

Chiflet, Pierre François

Parisiis, 1679

Praefatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9409



EXCERPTA
EX COLLECTANEIS
DE VITA ET REBUS GESTIS
SANCTI BERNARDI
CLAREVALLENSIS ABBATIS,

Auctore GAUFRIDO quondam illi
ab Epistolis, ac postmodum Ignia-
ci, Clarævallis, Fossænovæ, & Al-
tæcumbæ Monasteriorum Abbate.

OPUSCULUM IV.

P R Æ F A T I O.



UM ab aliquot annis à me
jam prodiisset opus illud,
cui titulum indidi: *Sancti
Bernardi Clarevallis
Abbatis genus illustre asser-*
tum; exhibuit mihi R. P. Jacobus Vi-

L iij

166 *Excerpta de vita S. Bernardi.*

gnier, è nostrâ Societate vir eruditus, Vitam S. Bernardi, ab vulgatis omnibus (ut putabat) diversam. Hanc ego contuli cum editis, hoc est, cum libro primo quem scripsit Guillelmus Abbas sancti Theodorici; cum secundo, cujus est auctor Bernardus Abbas Bonævallis; cum tertio, quarto, & quinto, quos prioribus duobus adtexuit Gaudfridus S. Bernardi Notarius; cum sexto & septimo quos ex anno 1641. Editioni Coloniensi adjecit Jacobus Merlonus Horstius. Et de septimo quidem libro in his Collectaneis nihil reperi: de quinque prioribus totam penè historiam inveni, sed stylo nonnihil diverso: de sexto autem libro vidi penè de verbo reddi quidquid à capite sexto habetur usque ad finem libri, dempto capite ultimo & xviii. Re autem diligentius consideratâ, non dubitavi quin hæc essent Collectanea de Vitâ & rebus gestis S. Bernardi, ac velut materiem scribendæ ejus historiæ præpa-

OPUSCULUM IV. 167

ratam : cujus tamen primum & secundum librum cum elaborassent citati duo viri eruditi & graves , noluerit Gaufridus pios eorum labores opere suo obscurare ; sed intactis quæ illi tractaverant , reliquam S. Bernardi Vitam tribus libris profecutus sit , ad priores duos adnectendis. Non enim plures daturum se profitetur Gaufridus , cum ait in suâ præfatione : *Opus istud libellis tribus partitum lector inveniet.* Postea tamen seorsim collegit S. Bernardi plurima miracula , præsertim in variis itineribus ab eo edita , quæ Hortsius in sextum suum librum congestit , quinque duntaxat primis capitibus ex Philippo de Claravalle adsumptis : atque librum hunc *Odeporicon* inscripsit , quia singillatim sancti viri itinera spectabat. Hæc certè Collectanea Gaufrido nemo abjudicaverit , cum in iis legerit horum Excerptorum numero sexto de epistolâ ad Robertum nepotem in imbre sine imbre conscriptâ :

L iiij

168 *Excerpta de vita S. Bernardi.*

*Extat adhuc epistola: & ego ipse primam
eam constitui in corpore epistolarum, cum
audissem tam grande miraculum, ab ip-
sius ore qui scripsit eam in pluvia sine
pluvia. Cujus hæc sunt verba, nisi Gau-
fridi, qui ab anno Christi 1140. sancti
viri Notarius fuit? Simul intelliget, è
Scholâ Parisiensi Gaufridum in ejus
disciplinam fuisse traductum, cum ex-
clamantem viderit: *Sit benedicta dies,
quâ Sol justitiæ, immò misericordiæ, oriens
visitavit ex alto miseram animam meam,
adversum & perversum nimis hominem,
in verbo uno, in momento, in ictu oculi,
mutatione dexteræ Excelsi prorsus in alium
hominem recreans, ut sim initium aliquod
creature ejus. Decem quæ selegimus
fragmentis, ex eo pretium est, quòd
ca continent haud levis momenti, quæ
apud alios rerum S. Bernardi Scripto-
res non reperiuntur.**

Numero

IX.